



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LV. De modo, quo pientissimus orbis Redemptor in crucem  
actus fuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

omnes ejusmodi hostias ac victimas veteris testamenti præsignatus fuit Christus Dominus in ara crucis in conspectu totius populi suo tempore elevandus; ut ergo omnes ejusmodi figuræ adimplerentur, simili modo in cruce voluit exaltari: in quem finem non aptius videbatur instrumentum, quàm lignum crucis ad redimendum universum mundum, *ut exaltatus à terra traheret omnia*, vel ut legit S. Chrysostomus, *omnes ad seipsum*. Hinc S. Augustinus: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, in qua cathedra nos docuit, & etiamnum in sacris suis docet iconibus perfectionis Christianæ formulam: Profunditatem nimirum in fide, perseverantiam in longitudine, altitudinem in spe, & in latitudine charitatem, ac denique certam obtinendæ nobis veniæ fiduciam, dum caput ad nos proclinat ad osculum, brachia ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, cor apertum ad amandum, pedes affixos ad expectandum: *Ut cum talia, prout loquitur Mallonius, pro te Christus gesserit, ut majora facere non poterit, quid te pro ejus amore facere conveniat diligenter inspicias: se totum tibi tradidit, ut totum te illi traderes. Fac hoc, & vives.*

Mallonius in  
Explicat. 5,  
Sindon,



## CONSIDERATIO LV.

De modo, quo pientissimus orbis Redemptor Christus in crucem actus fuit.

*Ubi crucifixerunt eum. Joan. 19. 18.*

I.

**A**Ttonitus hæreo, quoties attentiore mente perpendo, quòd Sacri Scriptores grande illud redemptionis nostræ opus, ac crucifixionem D. N. J. Christi tam paucis verbis complexi sint. S. Matthæus succinctissimâ utitur descriptione: *Postquam autem crucifixerunt eum*. En quomodo hic Sacer Evangelista crucifixionem Domini non quasi præsentem, sed jam præteritam enarret. S. Marcus habet: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus*. S. Lucas ait: *Ibi crucifixerunt eum*, & S. Joannes huic cruento præfens spectaculo: *Ubi crucifixerunt eum*. Cur, obsecro, tam pauca de crucifixione

S. Matth. 27.  
35.

Marc. 15. 24.  
Luc. 23. 33.  
S. Jo. 19. 18.

fixione JESU viri illi sanctissimi mortalitati humanæ in scriptis suis reliquerunt? Quare non enarrarunt modum, quo pretiosissimus Salvator noster in Calvario jugo in infamem crucem actus est? An humi, vel in sublimi? An in terra super crucem jacentem prostratus? An in aëre, & in cruce jam erecta, ac in serobe firmata? Altum hic est Sacrorum Scriptorum silentium; vel quia supponebant ordinarium crucifixionis modum jam cunctis esse notum; vel quia præ teneritudine animi & compassione non plura poterant scribere; vel potius quia ita placuit Spiritui sancto, ut nobis majorem præberet ansam de tanto redemptionis mysterio cum fructu meditandi? Quidquid sit hac de re; inquiramus nos, quo modo illa tam miseranda peracta fuerit in Filio Dei crucifixio: *Attende cælum qua loquor, audiat terra verba oris mei.*

2. Jacob Patriarcha nunc discessurus ex hac mortali vita omnes suos ad se convocavit filios, eisque bona ac mala, quæ illis erant eventura, prophetizavit. Cum ad Judam devenisset, illi hoc prædixit: *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leona, quis suscitabit eum?* Per generosum hunc Judam secundum mentem S. Ambrosii & aliorum Christus Dominus ex stirpe Juda oriundus allegoricè adumbratus est, hic enim est verus ille leo de tribu Juda, qui ascendit in prædam, tulitque prædam tartari, dum crucem suam coram innumero populo in monte Golgothæo ascendit, in qua pugnavit, & mortuus est ut leo, quia morte sua totum commovit mundum, ac diabolum, mortemque moriendo destruxit. Ubi observa Lector prudens! *Ad prædam fili mi ascendisti*, ex quibus verbis & vaticinio S. Ambrosii colligit, quod ipse Christus Dominus non vi compulsus, sed voluntariè crucem ascenderit, in qua in aëre, stans in suppedaneo, prout observat S. Justinus, Irenæus, Gregorius Turonensis, clavis quaternis affixus fuit. O anima dilecta! considera ex hoc, quantum te DEus tuus & amor crucifixus dilexerit.

3. Hoc idem insinuat Sponsus suæ dilectæ: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus;* quæ verba communiter SS. Patres de Christo in crucem ascendente accipiunt, proinde docent, Christum non in terra, sed cruci jam erectæ, & in terra firmatæ per scalas fuisse affixum, quia hoc erat majus supplicium, majorque ignominia, & ad majorem populi circumstantis horrorem.

Audiamus, quomodo S. Bonaventura hunc modum crucifixionis describat, cujus propria verba hic pono: *Hic modum crucis diligenter attende. Ponuntur dua scala, una retrorsum ad brachium, super quam valescunt ascendunt cum clavis & martellis. Ponitur etiam altera scala ex parte anteriori attingens usque ad locum, ubi debebant pedes affigi: & cogitur JEsus per illam*

Gmther Unus pro omnibus.

D d

ascen-

S. Ambr. l. de  
Benedict. Pa-  
triarch. in Be-  
ned. Judæ.  
Ticin. hic.

Cant. 7. 8.  
S. Gregor. M.  
in c. 7. Cant.

S. Bonav. lib  
Medit. vitæ  
Christi c. 78.

ascendere, & cum ad superiorem partem illius scala pervenit, ad crucem venes vertit, & manus in excelsum extendens eas porrigit suis crucifixoribus. Aspicit in caelum Patri dicens: Ecce hic sum, Pater mi, usque ad crucem me humiliare voluisti pro amore & salute generis humani. Placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dedisti mihi. Qui autem retro crucem est, accipit manum ejus dexteram, & eam fortiter cruci affigit. Similiter alius accipit manum sinistram, & trahendo quantum potest, crucifigit. Descendunt post hac de scalis, remouentur omnes scalae, & alius per pedes, quantum potest, trahit corpus, & corpore sic extenso ejus pedes configit clavo durissimo. Hæc S. Bonaventura. Et quis, obsecro, hæc considerando non condoleat optimo JESU? En Pater æterne! vox sanguinis Fratris nostri JESU clamat ad te de terra: Audi Pater, & vide vocem sanguinis Filii tui, & miserere nostri.

Exod. 12. 3.

4. Olim Agnus Paschalis, quem immolabat universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, antequam immolaretur, in carnario, tanquam in cruce erat suspensus, & extensus, (prout etiamnum faciunt nostri laniones agnum ad macellum preparando) dein erat excoriatus, & in formam crucis affatus. Ita S. Justinus: Quod agnus Paschalis assari jubetur, crucifigendum Christum significabat, siquidem agnus in crucis formam expansus affabatur.

S. Justinus.

Per hunc agnum legalem in Paschate ab Hebræis immolari solitum, S. Petrus Apostolus Christum agnum illum divinum & immaculatum in ara crucis in Paschate pro nostra, omniumque salute immolatum intelligit: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati.* De quo divinissimo Agno ulterius asserit, quod Judæi illum in patibulo suspenderint: *Deus patrum nostrorum suscitavit JESUM, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.* Et in alio loco: *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judaorum, & Jerusalem: quem occiderunt suspendentes in ligno.*

I. Ep. I. 18.

Adverte hic Lector prudens! typum ac prototypum, ac præsertim illa S. Petri verba: *Suspendentes in ligno*, dum uterque agnus & legalis & divinus in ligno erat suspensus, & occisus; solet autem prius lignum seu patibulum à carnificibus erigi, & firmari, antequam fontes in illud per scalas ascendant, & in eo suspendantur; ita insinuare voluit S. Petrus, Christum simili modo sublimè in patibulo crucis fuisse suspensum, clavis & laqueis affixum ac tandem occisum. Audi Nicephorum: *Postquam ad Calvaria montem est ventum, ibi crux compingitur, Salvator in eam sustollitur, clavis affigitur, & à prætereuntibus plurimis convitiis exagitur.*

Act. 5. 30.

Act. 10. 39.

Nicephor. lib.

I. Histor. c. 30.

S. Chrysoft. in

I. ad Cor. 2.

S. Cyprian.

serm. de P. s.

S. Bernh. tract.

de pass. cap. 5.

5. Mitto quàm plurimos alios SS. Patres & antiquissimos, uti S. Chrysoftomum, S. Cyprianum, S. Augustinum, S. Bernhardum, qui expressè docet: *Exaltato in cruce perforantur manus & pedes Viri optimi, benigne JESU &c.* Quod & Revelationes S. Birgittæ expressè docent, Christum

stum per scalas ascendisse crucem, & sic in aëre fuisse cruci affixum, Revel. lib. 7. cap. 15. solent enim talia spectacula populo aspiciente fieri. Quid ergo his consideratis considerandis nunc restat: nisi ut crucifixo Amori ac Redemptori nostro animatus condoleamus, ei que infinitas agamus gratias, quod se obtulerit æterno Patri in sacrificium totius mundi, ac nominatim pro meis, ac tuis peccatis. Quid ergo rependes, anime mi, tanto amori, quo te dilexit, & tradidit semetipsum pro te? quid rependes? Cogita, & statue.

6. Amici illi Job, qui solandi causâ ad eum venerant, ubi viderunt Jobum amicum suum à diabolo pessimis percussum vulneribus, & nunc sedentem in sterquilino, & testâ radentem faniem, quem prius ut virum optimum, multisque circumfluentem divitiis cognoverant, tanto subito repleti sunt stupore, ut septem diebus ac noctibus cum illo humi sedentes, tenuerint silentium, nec quisquam illorum ausus sit præ animi teneritudine & commiseratione illum alloqui, videbant enim dolorem illius esse vehementem: *Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum.* Job. 2. 12.

O anima Christiana! si viri isti tanto fuerunt correpti stupore, ubi hominem & amicum suum in tam miseranda rerum facie conspicati sunt; Quid, obsecro, dixissent, & fecissent, si ipsum DEUM ac Hominem Christum æterni Patris Filium in infami crucis patibulo suspensum, & affixum, tot vulneribus concisum, atque innumeris plagis propter scelera nostra attritum vidissent? *Ipsæ autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra?* O horrendum! ô cruentum spectaculum! nunquam hætenus in orbe visum, neque amplius videndum: *Obstupescite cæli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer!* Isa. 53. 5. Jerem. 2. 21.

7. Collige ex hoc pro reflexione morali, quanta sit gravitas peccati mortalis, quod non nisi morte crucis ex justo Dei decreto expiari potuit; & tu audeas iterum peccare lethaliter? Collige ulterius, quantus fuerit amor Filii Dei in nos miseros mortales, pro quorum salute non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Collige insuper, quanti sit facienda cujuslibet hominis anima, cujus pretium fuit vita, passio & mors Christi, ita ipse eam appretiavit, ut à jugo diaboli illam redimeret. Discè denique, si non pari, saltem ingenti studio procurare animarum salutem, ne sanguis JESU Filii Dei inaniter sit effusus.